tu tamen ut numquam mortem timeas. semper cogita. ¶ Parem autem te deo pecunia non fa-
ciet. deus nichil habet. pretexta non faciet: deus nudus est. fama non faciet nec osten-
tacio tui et in populos dimissa noticia. Nemo deum novit. multi de illo male existimant
et impune. ipse maximus potentissimusque ipse vehit omnia. exurge modo et te quoque dig-
num finge deo. Finges autem non auro vel argento. non potest ex hac materia imago
deo exprimi similis. ¶ Inquiro de te et ab omnibus sciscitor qui ex ista regione veniunt quid
agas. ubi et cum quibus moreris. Verba dare non potes tecum sum. Sic vive tamquam
quid facias auditurus sim. immo tamquam visurus. hoc est salutare non conversari dis-
similibus et diversa cupientibus. Non timeo ~~me~~ ne mutent te timeo ne impediant.
¶ Tamen lucri cogita quantum addideris celeritati fueris si a tergo hostis instaret
si equitem adventare suspicareris ac fugientium premere vestigia. fit hoc.
premeris. accelera et evade. perduc te in tutum. et considera quam pulcra res sit con-
summare vitam ante mortem. deinde expectare securus reliquam sui temporis
partem. nichil sibi in possessione beate vite positum. que beacior non fit si lon-
gior. O quando illud videbis tempus quo scies tempus ad te non pertinere. quo
tranquillus placidusque eris et crastini negligens in summa tui saciatate?
Vis scire quid sit quod faciat homines avidos futuri? Nemo sibi contingit. optaverunt tibi alia
parentes tui. sed ego contra omnium tibi eorum contemptum opto quorum illis copia. Vota illorum
multos compilant ut te locupletent. quicquid ad te transferunt alicui detrahunt. opto tibi
tui facultatem ut vagis cogitacionibus agitata mens tandem resistat et certa sit ut
placeat sibi. Suggressus est et exauctoratus ac liber qui vivit vita peracta.
~~Magna~~ pars magna bonitatis est velle fieri bonum. scis quem bonum dicam? perfectum.
absolutum. quem malum facere nulla vis. nulla necessitas possit. hunc in te prospicio si
perseveraveris et id egeris ut omnia facta dictaque tua inter se congruant ac respondeant sibi
et una forma percussa sint. Non est huius animus in recto cuius acta discordant. ¶
¶ Hoc interest diversa sunt et dissimilia. Qui amicus est amat. qui amat non utique amicus est. itaque
amicitia semper prodest. amor etiam aliquando nocet. ¶ Obstina eadem velle hodie que heri. ¶ Res
est inquieta felicitas. ipsa se exagitat. movet cerebrum. non uno genere alios in aliud irritat
hos in potentiam. illos in luxuriam. hos inflat. illos mollit. et totos resolvit. ¶ Ariston.
Malo adolescentem tristem quam hilarem et amabilem turbe. ¶ Iuveni parandum est seni utendum.
¶ Effugere non potes necessitates potes vincere. ¶ Humilis res est stulticia. abiecta. sordida.
servilis. multis affectibus et sevissimis subiecta. ¶ Non errat vade deo [illegible]. Si vis omnia
tibi subicere. te subice racioni. Multos reges si racio te rexerit. ab illa disces quid et
quemadmodum aggredi debeas. non incides rebus. ¶ Magni animi est magna contempnere
ac mediocria malle quam nimia. illa enim utilia vitaliaque sunt. at hec eo quod superfluunt
nocent. sic segetem nimia sternit ubertas. sic rami onere franguntur. idem animis quoque
evenit quos immoderata felicitas rumpit. quia non tantum in aliorum iniuriam sed etiam in suam